

quidem a Moysae miracula, utpote divina vi facta, per mutationem fiebant naturae rei ante oculos positae in naturam eius quae effliciebatur: quae vero ab incantatoribus edita sunt, fiebant ope daemonum, qui praestigis decipiebant oculos spectantium, ut quasi serpentes adspicerent qui non erant serpentes, et quasi sanguinem qui non erat sanguis, et quasi ranas quae non erant ranae. »

V. Facili analysi instituta horum testimoniorum, manifestum fit quod probandum sumpsimus, persuasos fuisse Patres, Daemonis operationem gentilium sacris se immiscuisse, ipsum in idolis adorationem sibi conciliasse, ab eo oracula, auguria, auspicia, mira profecta esse, quibus hominibus illuderet, cultumque idolorum persuaderet. Docent quidem Patres oracula gentilium et divinationes plerumque exitu caruisse, at non negant factum, Daemonisque operam, imo falsitatem oraculorum ipsi Daemone attribuit. Quocirca ut demonstrent nihil ex iis ceterisque praeter naturae ordinem manifestationibus colligi posse pro defensione cultus idolorum, non ea methodo utuntur, ut ea facta simpliciter negent, probentque reapse falsa esse, quae methodus fuisset expeditissima et opportunissima; sed comparatis simul praedictionibus et miraculis Christianismi cum oraculis et portentis Gentilium, illa quidem veri Dei signa, haec mali spiritus praestigias esse demonstrant. Quod quidem evincunt ex pluribus praedictionibus falsis; ex eo quod mira, quae fierent, vim naturae spiritualis creatae nunquam excederent; quod per incantationes et veneficia fieret mira; quod flagitia omnia et impiissimae doctrinae rationis lumini manifestissime adversa per ea suaderentur: et quod cum Christus aut Christianus in conflictum veniret cum auctore earum praestigiarum, et contenderet Christianus Christum esse Deum, esse autem Diabolum qui in idolis operaretur, et huius veritatis argumentum exhiberet silentium Daemonum, vel eorum egressum e corporibus vel etiam confessionem eiusdem veritatis extortam a Daemone, haec reapse signa contingerent Diabolo nempe cedente, suamque impotentiam manifestante.

Iam super hac re audivimus Athanasium; audiatur etiam Tertullianus Apolog. 23. « Edatur hic aliquis sub Tribunalibus vestris, quem Daemone agi constet. Inussu a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se Daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Aequè productur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur, qui aris inhalantes nomen de nidore concipiunt, qui rutando curantur, qui anhelando profantur. Ista ipsa Virgo caelestis pluviarum pollicitatrix, iste ipse Aesculapius medicinarum demonstrator, alia die moriturus Socordio et Thanatio et Asclepiodoto vitae sumministrator, nisi se daemones confessi fuerint, Christiano mentiri

non audentes, ibidem illius Christiani procacissimum sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? Quid hac probatione fidelius? » Ita et Cyprianus de Idolorum vanitate « Hi tamen (Daemones) adiurati a nobis per Deum verum, statim cedunt, et fatentur, et de obsessis corporibus exire coguntur: » et ad Demetrianum « veni et cognosce vera esse quae dicimus. Et quia sic Deos colere te dicis, vel ipsis, quos colis, crede... Videbis sub manu nostra stare vincetos, et tremere captivos, quos tu suscipis et veneraris ut Dominos. » Ita et Pionius martyr, in Actis sui martyrii, ut probet Christum purum hominem non esse qui per vim sit mortuus, ait in quadam responsione: « Dicite, quaeso, cuius hominis discipuli, qui sit per vim mortuus, daemones per tot annos eiecerunt, facturique sunt? » Lege Augustinum in opere de div. daemonum iam citato.

Cf. quae dedimus in Inst. Phil. Pneum. Thh. XII, XIII, XIV.

CAPUT III.

DE LAPSU ORIGINALI HUMANAE NATURAE

ARTICULUS I.

DE EXSISTENTIA PECCATI ORIGINALIS

— 223 —

« In causa (ait Augustinus de pecc. origin. c. 24) duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis, per unum praecipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam... in horam duorum hominum causa proprie fides christiana consistit. » Fides scilicet christiana est proprie fides in Christum (quae et fidem Trinitatis includit); sed in Christum crucifixum h. e. humani generis oblatione sui in cruce salvatorem et redemptorem, qui peccatum mundi tollit et consequentia pariter, quae propria admittuntur voluntate, peccata. Cum ergo fides in Christum redemptorem sit quoque fides de lapsu totius naturae per peccatum protoparentis, quo seposito illa amplius non habet locum, verissime dictum est in causa duorum hominum, Adami veteris et Adami novi fidem christianam proprie consistere. Quod quidem ab initio volumus monere, ut intelligatur quanti momenti sit quantaque necessitatis sequens tractatio de peccato originali, quantaque cura entendum sit ut dogma catholicum hac de re vindicetur et explicetur, a quo dogmate dependet vera intelligentia

της οικονομίας; Christi, iustificationis et gratiae totiusque ordinis supernaturalis, in quo nunc versamur (cf. August. ibidem c. 29). Meminisse tamen oportet quod idem Augustinus (in lib. I de moribus Eccles. cath. c. 22.) monet de peccato originali: « nihil eo esse ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius », ut si qua gravis difficultas identidem occurreret, sciamus nos in re revelata versari ac lucerna lucenti in caliginoso loco, cuiusmodi est lumen fidei, illustrari.

Thesis LXV.

Protoparentibus lex a Deo lata est, quam ipsi, Satana instigante (cuius tentationis narrationem Gen. III. factum exhibere non mythum heic sumimus) violantes, gravi peccato se obstrinxerunt.

I. Legem a Deo iis esse latam ostendunt testimonia Gen. II, 16. 17. Praeceptum ei dicens: ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris: Gen. III, 3. De fructu ligni, quod est in medio paradisi, praecipit Deus ne comederemus et ne tangeremus illud, ne forte moriamur: ibidem 41. Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti? Tum verbum *praecipit εντειλατο*, tum interminatio poenae, eiusque gravis, manifeste docent voluisse Deum morali obligatione voluntatem protoparentum obstringere; veri ergo nominis praeeptum tulit Deus. Cui praeepto neque ea ratio defuit quae propria est legis, ut nempe communitati feratur, nam et ii tunc erant universa humana natura. Idem docet nos Paulus Rom. IV, 15, coll. V, 14. Aut enim tibi non est lex, neque tibi esse praevaricationem: ergo tibi fuit praevaricatio, fuit lex. Atqui idem testatur Adamum praevaricatum fuisse, eius praevaricationis mentionem faciens c. 14; ergo Adamo fuit lata lex; quae alia ab Apostolo significari non potuit quam quae dismisit verbis indicatur in Genesi. Conveniens vero fuisse, ut primum hominibus lex ferretur, suadet ordo debita subiectionis hominis ad Deum; cui ordini congruebat ut homo experiretur se sub Dei esse potestate, Deoque obsequium ali-quod praestaret quod eius dominium testaretur. Porro ad id potius positivum praeeptum quam naturale conducebat; nam homo legem naturae servans, sibi quodammodo sive suae rationi obtemperare videtur. « Deus, ait Aug. Civ. Dei L. XIV, c. 15, hominem praeeptis nec pluribus, nec grandibus, nec difficilioribus oneraverat, sed uno brevissimo atque levissimo ad obedientiae salubritatem admini-

culatus fuerat, quo super eam creaturam, cui libera servitus expedit, se esse dominum commonebat. »

II. Protoparentes violasse legem liquet pariter ex disertis testimoniis Gen. III, 6. vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum et pulcrum oculis aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius et comedit deditque viro suo, qui comedit. Cf. ibid. II. 17. Item Eccl. XXVII, 33: A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. Rom. V. 19. Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.

III. Violasse protoparentes legem ex instigatione seu tentatione Satanae, sive Satanam auctorem fuisse ut ii in praevaricationem laberentur, evincitur 1) eo quod serpens ille qui Evam allocutus est (etsi verum animal fuerit, quod ex contextu Gen. III, constat, et doctrina Patrum, (Cf. Bellarm. De Pecc. L. III, c. 3) et nos heic sumimus ut demonstratum) Satanae instrumentum fuit, qui eo usus mulierem seduxit. Sane serpens, utpote bellua, nec loqui nec dispartare rerumque rationes scrutari poterat; alia ergo virtute superiore eaque intelligente agebatur, quae non nisi angelus esse poterat, qui malum suaderet. Et re quidem vera 2) Scripturae testimonia persuadent Satanam auctorem fuisse praevaricationis humanae. Sapient. II. 24: Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Ioan. VIII, 44. Ille (Diabolus) homicida erat ab initio. Apocalyp. XII, 9. Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem. Cur vero vocatur draco et serpens antiquus, nisi quia sub specie serpentis mulierem primam seduxit, hominemque impulit in ruinam? Cf. quae in hac rem dicemus in Tractatu de Immaculato Conceptu Th. LXXXVII.

IV. Gravem protoparentes contraxisse culpam, hoc est legem graviter obligantem violasse sententia est indubia universae christianae traditionis, contenta scilicet in ipsa persuasione propagationis peccati originalis. Id quoque ostendit ipsa gravitas poenae sitae tum in mortalitate Gen. III, 19. tum in privatione immunitatis a concupiscentia ibid. 11. quod quidem beneficium ablatum non fuisset, quemadmodum iam Patres cum Augustino docentes audivimus, nisi prius voluntas se avertisset a Deo, qua in re posita est ratio peccati lethalis. Et sane ipsa expulsio a loco voluptatis satis indicat amissionem prioris status felicitatis, in quo conditus fuit homo: hic autem erat status gratiae et amicitiae cum Deo, qui nonnisi per lethale peccatum amittitur: ergo.

V. Quaeres cuiusmodi fuerit hoc peccatum. Breviter respondeo peccatum Adami fuisse formaliter inobedientiam. Tale enim non solum

ab Apostolo Rom. V. ubi de illo data opera agit, repraesentatur, sed et ab ipso Deo iudice Gen. III. cum fert sententiam. Ex amore autem mulieris (in quam postea culpam refundit) inductus videtur fuisse Adamus ad transgrediendum praeceptum Dei; ipse enim, teste Apostolo 1. Tim. II, 14, seductus non fuit ut crederet nempe quod facturus esset sicut Deus. Hoc quidem peccatum superbiam appellare licet; at non est opus arbitrari quod primum peccatum Adami fuerit superbia presse accepta, nimirum prout est speciale peccatum; sed superbia fuit prout ipsa est generale peccatum seu modus cuiusque peccati, qui simul est cum prima hominis libera determinatione ad malum. Cf. quae diximus de Angelorum peccato Th. LX.

LEMMATA HISTORICA

I. Catholica thesis seculo V erat. α) Peccatum Adami omnibus suis posteris imputari, eiusque reatu universos obstringi, eo quod omnes in Adamo peccaverint.

β) Omnes proinde Adami posteris originali iustitia, qua Adamus auctus fuit, privatos existere ipso concepti: atque inde inesse hominibus inordinatam potentiarum animae dispositionem, quae fomes peccati, lex membrorum, concupiscentia carnis, geminisque nominibus appellatur.

γ) Baptizari idcirco infantes in remissionem peccatorum.

δ) Mortem in praesenti providentiae ordine propter peccatum inductam esse, eamque esse poenam peccati, et nequaquam Adamum moriturum si non peccasset.

II. Pelagiana antithesis eodem seculo V erat. α) Peccatum Adami posteritati non imputari, ingressumque peccati in mundum per unum hominem, de quo Apostolus ad Rom. V. 12. non nisi per imitationem intelligi posse.

β) Peccatum Adami ipsi soli obfuisse, neque eo fuisse laesam eiusdem posteritatem; et idcirco unumquemque hominum ea instructum perfectione nasci, in qua Adamus fuit ante peccatum.

γ) Non baptizari infantes in remissionem peccatorum, sed tantum ut adoptentur in filios et heredes regni caelorum.

δ) Mortem non esse poenam peccati. Adamum mortalem factum, eumque ex aequo moriturum, sive peccasset, sive non peccasset.

III. Haeresis primum in Oriente orta: parens eius fuisse dicitur Theodorus, qui anno 390 Mopsuestenum suscepit Episcopatum, a quo et haeresis nestoriana processit: hic Rufinum quemdam Syrum perperam a quibusdam cum Aquileiensis confusum eam docuit, atque iste Romae eam Pelagio et Caelestio tradidit sub Anastasio Romano Pontifice, qui anno 398. Episcopatum inivit, decessitque anno 402.

Ita partes huius haeresis sibi divisisse visi sunt Pelagius et Caelestius, ut Pelagius gratiam Christi potissimum, Caelestius peccatum originale praecipue impugnaret. Hos secutus est Iulianus Episcopus Eclanensis.

IV Historice vero processus logicus errorum, et explicationis veritatis catholicae, hic fuisse videtur. Quaestionē existente de origine mali, quae christianos inter et ethnicos ac manichaeos iamdiu agitabatur, quaesitum est quoque speciatim de origine mortis: Manichaei ex malo principio, Catholici ex peccato esse dicebant, Theodorus Mopsuestenus et post ipsum Pelagiani ex ipsa natura esse asserebant, ut se opponerent Manichaeis, sed simul Catholicis adversabantur. Obicientibus catholicis Adamum immortalem creatum, reposuit Theodorus Adamum mortalem factum, et sive peccasset sive non peccasset, moriturum. Hic sane error in recensione errorum pelagianorum penes veteres primum obtinet locum. Et quidem, aiebant, nonne et parvuli, qui innocentes sunt, moriuntur? non ergo mors est poena peccati. At monebant Catholici parvulos mori propter peccatum primi parentis: negabant illi e contrario posteros laesos esse per praevagationem primi parentis. Attulerunt in medium Catholici peccatum originis, traduci nempe in omnes posteros Adami peccatum, eoque filios esse irae et reos mortis. Tunc adversarii traducem peccati aperte inficiati sunt, Manichaeis accensentes eos, qui peccatum singulis hominibus non voluntarium sed naturale affingerent. Urgebant Catholici parvulos quoque indigere baptismo, baptizari autem in remissionem peccatorum; respondebant Pelagiani parvulos indigere baptismo non ut eis peccatum aliquod remittatur, sed ut in filios Dei adoptentur fiantque heredes regni caelorum. Addebant Catholici parvulos nasci cum natura vitata, ignorantiam et concupiscentiam esse poenas, quae peccatum supponerent. Contendebant Pelagiani nullum esse vitium in natura, homines tales nasci, qualis fuit a Deo conditus Adam, ignorantiam esse conditionem naturae, quae tamen viribus naturae expelli potest, concupiscentiam esse per se bonam, nec malam dici posse, nisi etiam nuptiae damnarentur, concupiscentiae autem impetus posse viribus naturae coerceri, et generatim inesse naturae legem et potestatem facile eam servandi ita ut quis, si velit, evadat etiam ἀνυμαρτητος. Probabant contra catholici ex Scripturis ignorantiam et concupiscentiam poenas esse, non cum his conditum primum hominem, distinguebant in nuptiis usum coniugii a libidine, ac demonstrabant tentationes vinci, legem impleri non posse sine gratia. Atque ita deventum est ad quaestionem de necessitate gratiae, de qua nihil nobis est modo dicendum. Compendium omnis haeresis ita exhibetur ab August.

De natura et grat. c. 6. « Naturam humanam neque in parvulis medico indigere, quia sana est, neque in maioribus gratiae adiutorio, quia sibi sufficiens ad salutem. »

V. Proscripta fuit auctoritate primum Innocentii 1. anno 417. literis datis tum ad Patres Synodi Carthaginensis, tum ad Patres Synodi Milevitanae, qui super hac re ab ipsis cognita ad eum retulerant. De Innocentii I. sententia haec verba protulit Augustinus ad populum in sermone 2. de verbis Apostoli sub finem: « Iam de hac causa duo concilia missa sunt ad sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error. » Tum rursus profligata fuit anno sequente a Zosimo per eam « epistolam (quae Tractoria a Mercatore vocatur) qua Caelestinus Pelagiusque damnati sunt; quae et Constantinopolim et per totum orbem missa subscriptionibus sanctorum Patrum est roborata: cui Iulianus et reliqui complices subscribere detrectantes, consentaneosque se nolentes iisdem Patribus facere, non solum imperialibus legibus, sed et sacerdotalibus statutis depositi atque exauctoritati et omni Italia deturbati sunt: ait Marius Mercator Common. super nomine Caelestii c. III. n. 1.

VI. Probationem catholici dogmatis de peccato originali collegerunt Patres tum ex testimoniis Veteris et Novi Foederis, potissimum vero ex verbis Apostoli Rom. V. 12 seq. tum ex Traditione Maiorum, tum ex fidei analogia; quae quidem argumenta et nos in sequentibus exposituri sumus. Inter doctores catholicos Fidei vindices primas tulit Augustinus.

CF. his de rebus Augustinum in operibus contra Pelagianos, Hieronymum in tribus dialogis contra Pelagianos, et in epistola ad Ctesiphontem, Apologiam Orosii, Auctorem Hypognostici, Marium Mercatorem in Common. citato, et in libro Subnotationum in verba Iuliani; Prosperum in Carmine de ingratis; Canones Concilii Cartaginensis adtributos Milevitano: et Concilium Arausicanum II. Lege Garnerium in Marium Mercatorem p. 1. Dissert. 7.

Conceptus peccati originalis

Peccatum originale intelligitur peccatum illud, quod ab origine omnibus hominibus habitualiter inest ex praevaricatione parentis totius naturae humanae. « Videtur (ait S. Anselmus De Conc. Virg. c. 1) dici originale ab ipsa origine uniuscuiusque personae humanae: quamvis si quis dicat peccatum vocari originale eo quod ab illis descendat in singulos a quibus habent originem naturae, non contradicam, si tamen non negetur originale peccatum cum ipsa uniuscu-

iusque personae trahi origine. » Duplex proinde distinguenda est species peccati. « Est enim (ibid.) peccatum quod quisque trahit cum natura in ipsa sui origine: et est peccatum, quod non trahit cum ipsa natura, sed ipse facit illud postquam iam est persona discreta ab aliis personis. Illud vocatur *originale* quod potest etiam dici *naturale*, non quod sit ex essentia naturae, sed quoniam propter eius corruptionem cum illa assumitur. Peccatum autem, quod quisque facit postquam persona est, *personale* potest nominari, quia vitio personae fit. » Nunc accedendum ad demonstrationem existentiae peccati originalis.

Thesis LXVI.

Ad lectionem Paulini textus Rom. V. 12. 13. quod attinet, docemus 1) utramque lectionem, peccatum non imputabatur, cum lex non esset, et peccatum non imputatur non existente lege, in idem tandem redire: 2) retinendam esse tanquam unice veram lectionem negantem: in eos qui non peccaverunt: 3) nulla nota temeritatis dignam esse, sed imo valde probabilem esse interpretationem eam, qua verba in quo sensu casuali accipiuntur.

I. Difficultas critica occurrit in duobus locis. Alter est com. 13: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Alter est com. 14. etiam in eos qui non peccaverunt. Etenim α) quoad primum advertunt eruditi verba graece legi in praesenti; peccatum autem non imputatur, non existente lege: ἀμαρτία δε οὐκ ἔλογισται; μη ὄντος νόμου. Verum 1) non omnes codices graeci ita habent, nam e. g. codex sinaiticus editus a Tiscendorffio habet in imperfecto οὐκ ἐλογίστο; quemadmodum et alii nonnulli legunt ἔλογιστο. Praeterea 2) utraque lectio in eundem sensum tandem redit. Sane lectio communis graeca effert discrete principium: peccatum non imputari non existente lege, et implicite conclusionem continet quam explicitate inferendam relinquit lectoribus, nempe tunc temporis ab Adamo ad Moysen non imputari peccatum, cuius lex prohibens nondum erat lata. (Cf. quae in seq. Th. dicemus in enarratione huius textus). Vulgata autem effert discrete conclusionem hanc, ac proinde implicite principium illud significat a quo pendet. Utrumque ergo et principium et conclusio ab utraque lectione significatur, licet diverso modo. Nulla igitur est ratio cur lectio vulgata sollicitetur.

II. Ad alterum quod spectat, quaestio est an retinenda sit lectio negans, an accersenda potius affirmans in eos qui peccaverunt. Ambrosiaster in hunc locum tuetur lectionem affirmantem, et obicitur

tibus codices graecos negativam praesferentes respondet esse eos corruptos, potiusque credendum codicibus latinis, qui a veteribus graecis translati, custoditi sunt incorrupti temporum simplicitate. Citat quoque Tertullianum, Cyprianum, Victorinum. Satis fuisse citare Origenem qui L. V in epist. ad Rom. in h. l. utitur lectione affirmante, etsi moneat in nonnullis codicibus haberi negantem. Verum argumenta et critica et hermeneutica in tuto ponunt lectionem negantem, quam exhibet Vulgata.

1) Argumenta critica. Sane hanc lectionem habent a) plerique omnes codices graeci ad nos usque reliqui: b) habebant plerique omnes graeci codices, qui seculo V adhibebantur; cuius rei testis est locuples Augustinus De pec. mer. et rem. L. I. c. 11. « Ergo et in iis qui non peccaverunt in similitudinem praevagationis Adam, id est qui nondum sua et propria voluntate, sicut ille, peccaverunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt... Scio quosdam plerosque Latinos codices sic habere: regnavit mors ab Adam usque ad Moysen in eos qui peccaverunt in similitudinem praevagationis Adam: quod etiam ipsum qui ita legunt ad eundem referunt intellectum, ut in similitudinem praevagationis Adae peccasse accipiant, qui in illo peccaverunt, ut ei similes crearentur sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, ex morituro morituri, damnatoque damnati. Graeci autem codices, unde in latinam linguam interpretatio facta est, aut omnes aut pene omnes id quod a me primo positum est habent. c) Habent antiquae versiones, syriaca, arabica, aethiopica; illam quoque habuisse dicendum est, cum ita legeret Augustinus, qui ea utebatur, eamque ceteris latinis praeferebat. d) Habent manuscripti latini codices praestantissimi, ut Amiatinus, Claromontanus, et Codex S. Pauli, et Sangermanensis. e) Eam legit Cassiodorus, qui in Complexionibus in epistolas Apostolorum, in epist. ad Rom. n. 9. ait « Peccante siquidem Adam, mortem humano generi constat inflicta, etiam iis, qui mandata Domini, sicut fecit Adam, minime praevagasse noscuntur ». f) Ita legerunt omnes graeci Patres ab Irenaeo ad Damascenum, g) ita quoque latini omnes scriptores paucissimis exceptis. Cf. Ioannem Millium (Testamentum Novum) in hunc locum, et Sabatier (Bibl. sacr. latinae versiones antiquae) in eundem locum.

2) Argumentum hermeneuticum rem conficit. Etenim in his verbis manifesta est auxesis: scilicet *adeo est universale regnum mortis ut regnaverit et in eos qui actualiter non peccaverunt*; quam auxesim indicat particula *etiam*, quam prout eiciendam putaverunt, qui lectionem affirmantem seculi sunt. Verum si legatur affirmative, sensus erit: regnasse mortem non solum in eos qui non

peccaverunt, sed et in eos qui actualiter peccaverunt: ac si qui peccant minus essent digni morte quam qui non peccant, quod absurdum est. Praeterea liquet mortem hic exhiberi a Paulo ut poenam et effectum peccati primi hominis com. 12; sed lectione affirmante videretur asserti mortem esse poenam peccati actualis cuiuscumque; quae quidem non cohaeret. Tandem certum est com. 14. afferri rationem cur dictum sit primi hominis peccato omnes peccavisse; ad hoc vero demonstrandum, quandoquidem ex morte propagatio peccati demonstrata est, oportebat ostendere morti quoque esse obnoxios eos, qui nullum actuale peccatum admiserunt; non vero eos qui peccata actualia patravissent. Ergo.

III. Quaeritur an verba *in quo* ἐφ' ᾧ necesse sit accipere sensu relativo, et quidem ad Adamum, an sensu causali, et quidem hoc determinato sensu, nimirum *eo quod*. Scilicet non quaeritur utrum dictioni *in quo* sit substituenda haec alia: *eo quod*, quod maxime temerarium foret; sed utrum *in quo* accipi possit sensu causali. Nec de quolibet sensu causali quaestio est; non enim quis defendit sensum qui exprimitur particula *propter quod*, quo significatur id quod sequitur effectum esse eius quod prius enunciatum est. Sed quaeritur de sensu causali τὸν *eo quod*, quae particula, sicut et simili *propterea quod*, exhibetur id, quod cum ea coniungitur, tanquam antecedens discursum, seu ratio eius quod prius dictum est. Ex iis qui relativam interpretationem tuentur, sunt qui contendunt eam communi consensu Patrum stabiliri, ab alia vero demonstrationem catholicam ex verbis Apostoli petitam pene enervari, dignamque eam esse homine Pelagianis favente, et erasmanam esse dicendam. Atqui haec profecto modum excedunt, et exposcere videntur ut eorum inanitas delegatur. Non reicimus priorem interpretationem, id tantum volumus persuadere, alteram probabilitate magna gaudere, imo dignam esse quae recipiatur. Id obtinebimus si demonstremus 1) negari haud posse generatim quod dicitio ἐφ' ᾧ *in quo* significationem habeat etiam causalem: 2) hanc eandem significationem in hoc eodem textu Rom. V, 12. non paucis ex iis quoque probari ad quorum normam exigenda est interpretatio Scripturarum: 3) hoc pacto accepta dictione ἐφ' ᾧ planissime et plenissime secundum intellectum catholicum enarrari paulinum testimonium de peccato originali. Duo priora in hac thesi, tertium in sequenti efficiemus.

IV. Itaque advertimus dictionem ἐφ' ᾧ in Scripturis habere quoque sensum causalem. Ad id probandum haec proferimus testimonia. 2. Cor. V, 4. Καὶ γὰρ οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνῳ στεναζόμενοι βαρυνόμενοι ἐφ' ᾧ οὐ θέλομεν ἐκδυσασθῆναι, quae ita vertit Vulgatus: Nam et qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati, eo

quod nolimus spoliari. Dictio ἐφ' ᾧ in textu graeco nullum sensum habet quam causalem: idque adeo evidens est, ut ipsi adversarii id nobis concedant. Porro vulgatus interpres eam dictionem reddens *eo quod*, idem confirmat, et auctor est nobis non esse alienam a Scriptura si τὸ ἐφ' ᾧ accipiatur sensu τὸυ εὐ quod.

Rursus cl. P. Patrizi (in dissert. ann. 1876 typis edita italica de verbis S. Pauli: in quo omnes peccaverunt. §. 8.) provocat ad Philipp. III, 12. ubi, ut ipse ait, dictio ἐφ' ᾧ vim habet certe causalem et a vulgato redditur: *in quo*, Διωξο εἰ καὶ καταλαβοῦ ἐφ' ᾧ καὶ καταληθῆν ὑπο τοῦ Χ. I. Sequor autem si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum a Christo Iesu. Nullum est, monet idem auctor, in textu graeco subiectum anteedens, cui vulgatus potuerit referre illud *in quo*; et manifeste sensus est causalis: vult nempe Paulus potiri Christo eo quod iam Christus est se potitus. Verum talis interpretatio non omnibus se probavit. Quibusdam enim placet reddere verba ἐφ' ᾧ per *ad quod* ut scilicet, quantum fieri potest, sensus relativus pronomini servetur. Satis est, aiunt, supplere ordinariam anteedens τοῦτο, et planus exprimitur sensus: curro et persequor si quomodo comprehendam *illud* in quo (sive *ad quod*) ipse comprehensus sum a Christo: ut assequar scilicet illam coronam ad quam Christus me invitavit, et ut eam assequer ipse apprehendit me gratia sua. Ingeniosa est interpretatio idoneumque sensum fundit. Ad dubitare merito licet an hic sit sensus verborum Apostoli. Etenim ut advertit Dr. Lebaucher (Etude Critique sur le texte de S. Paul: in quo omnes peccaverunt. an. 1877) in hac interpretatione particula καὶ secundi incisi redundaret, ideoque in sua versione ab huiusmodi interpretibus omittitur: 2) quoniam isti interpretes omni contentione flagitant ut vulgatae interpretationi adhaereamus, nobisque vulgatae contemptum exprobrant, si sensum minus idoneum, ut ipsi aiunt, verbis ipsis subficiamus, merito perpenditur quod dictio *in quo* non est aequivalens dictioni *ad quod*: et idcirco retento sensu, quem vulgatus exprimit si τὸ quo est relativum, nequit ea probari interpretatio. 3) Chrysostomus aperte favet interpretationi adhibitae a cl. Patrizi. Sic enim verba Apostoli ad Philipp. hom. XI enarrat. « Adhuc curro, adhuc sequor; et non dixit curro, sed sequor; ac merito. Nam qui persequitur nostis quantam contentionem in sectando adhibeat.... deinde ostendens debitum hoc esse, inquit: ἐφ' ᾧ καὶ καταληθῆν ὑπο I. X. » His scilicet verbis, interprete Chrysostomo, ostenditur debitum quo tenebatur Paulus persequendi; si debitum ostenditur, ratio ergo redditur cur persequi deberet; si ratio redditur, igitur ea propositio Pauli est causalis: ideoque dictio ἐφ' ᾧ accepta fuit a Chrysostomo sensu cau-

sali. Itaque si interpretationem, quae placuit Chrysostomo, secutus est quoque vulgatus, nec aliquid quidem occurrit quod nos cogat oppositum censere, habemus vulgatum reddentem dictionem causalem ἐφ' ᾧ dictione *in quo*. Quocirca negari nequit argumentum saltem probabile hunc textum suppeditare ad probandum quod dictio *in quo* usurpata sit a vulgato sensu causalis.

Item dictionem ἐν ᾧ vulgatus resolvens reddit *in eo in quo* sensu causalis Hebr. II, 18. In eo enim in quo passus est ipse et tentatus, potens est eis qui tentantur auxiliari. Quorum verborum idoneus sensus non is esse videtur quod Christus sit potens nobis auxiliari in iis in quibus est passus: nam si sensus exclusivus accipis, hoc falsum est: etenim non in iis solum nobis auxiliatur in quibus ipse est passus, sed et in aliis quae pati non potuit, ut in lucta contra concupiscentiam: si vero non sunt prolata sensu exclusivo, haud liquet ratio cur mentio tantum fiat eorum in quibus Christus passus est. At sensus planissimus est, si accipis sensu causalis: eo quod Christus passus est et tentatus, potens est auxiliari iis qui tentantur: comparatio enim instituitur in hoc quod ipse et alii tentationem experti sint, non in rebus circa quas tententur. Vulgatus ergo dictionem *in eo in quo* cui aequivalet contracta *in quo*, usurpavit sensu causalis.

Haec ratio loquendi occurrit quoque extra Scripturas. Nam si Phavorino credimus, Attici ita loquebantur: ἐφ' ᾧ τὴν κλοπὴν ἐργασοί, κολασθῆσθῃ: eo quod furtum commisisti, punieris. Cf. eius lexicon. Verum censemus quod talis dictionis usus penes Paulum potius quam ex attica dialecto, sit ex idiotismo hebraico. Nam et penes hebraeos בְּאֵשׁ *in quo* occurrit sensu causalis. Gen. XXXIX, 9: Nec quidquam est quod non in mea sit potestate vel non tradiderit mihi praeter te quae בְּאֵשׁ *eo quod* uxor eius es. Ibidem com. 23. dictionem בְּאֵשׁ reddit vulgatus per *enim*. LXX utrobique habent δις. Itaque sive habeatur ratio usus linguae hebraicae, quem frequenter sequuntur Scriptores N. T. sive idiotismi attici, sive usus identidem currentis penes Paulum, sive auctoritatis Chrysostomi, satis evidens est absque ulla sufficienti ratione negari quod in T. N. dictio ἐφ' ᾧ habeat aliquandam significationem causalem *eo quod*. Pariter absque ulla sufficiente ratione negatur vulgatum *in quo* eandem identidem habere significationem. Id olim certum erat interpretibus primi subsellii, ex quibus satis sit ciere Estium, qui ad verba Apostoli Rom. VIII, 3. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, ait: « particulam *in quo* graece ἐν ᾧ causaliter exponimus; sic enim et alibi accipitur, ut hebr. II, 18 in quo passus est ipse etc. »

V. Verum oportet facere satis nonnullis qui acriter adversantur contententes vel significationem istam dictionis ἐφ' ᾧ adeo esse ratam ut potius exceptio sit, nec liceat eam in regulam veluti assumere interpretandi, vel accomodari laud posse testimonio paulino Rom. V, 12; idque tum argumentis grammaticis tum theologicis demonstrare contendunt. Attamen quoad raritatem obiectam usus, si conferatur usus τοῦ בְּאִשֶׁר penes hebraeos, τοῦ ἐφ' ᾧ penes Aethiopes, et apud Paulum locis citatis, ipso quoque consentiente vulgato 2. Cor. V, 4. ac Chrysostomi allata interpretatio, qui nullam ostendit eo in loco se experiri difficultatem, satis, puto, constabit a) quod non adeo est rarus penes scriptores usus huius dictionis in hac significatione; b) quod si qua sit raritas penes scriptores illius significationis, id non ex eo petendum est quod ex usu loquendi non haberet quoque hanc significationem dictio ἐφ' ᾧ, sed ex facto tantum contingenti scriptorum, quibus integrum est semper phrases adhibere quas volunt. Ceterum non sunt semper a scriptoribus N. T. et a vulgato interprete postulandae classicae locutiones.

At potest ne haec significatio accomodari textui paulino? cur vero non? Quia nempe ibi exstat expressum antecedens, ad quod refertur τοῦ in quo, nempe *hominem*. Verum si ἐφ' ᾧ potest habere sensum causalem, poterit quoque cum sensum habere cum aliquod nomen praecedit; quo posito habemus quidem in hoc textu praecedere terminum *hominem*, sed nondum habemus ipsum esse antecedens relativum, nisi supponas in quo esse relativum, quod tamen est demonstrandum. Et quidem ratio dubitandi an sit relativum, iam indicata fuit a cl. P. Patrizi aiente (in Libello trium commentationum comm. 2) « qui enim pronomen enuntiationum queat ad Adamum pertinere tam longe distantem, duabus enuntiationibus, in quibus ne obiter quidem hic comparet, interiectis? ». Hanc difficultatem grammaticam indicavit quoque cl. Dr. Reithmayr in suo comm. in epist. ad Rom. in h. l. subdens proinde factum esse « ut interpretes experientes impossibilitatem reddendi ἐφ' ᾧ simpliciter per relativum, soleant confugere ad circumlocutionem: *quia in eo* ». Verum advertit quod formula ἀμαρτανειν ἐπι ἀνθρωπων habet aliquid durum, insolitum; atque aegre intelligibile; quemadmodum nunquam occurrit διακινουθαι ἐπι Χριστου, sed in huiusmodi connexione adhibetur τοῦ ἐν. Et sane ut contra leges ordinatae locutionis non pecces, si dictionem in quo vis referri ad Adamum, qui in primo inciso occurrit, opus est ut duo incisa intermedia includas parenthesi. At ea duo incisa certe parenthesa non sunt. Quae enim sunt huiusmodi, omitti possunt incolumi sententia propositionis, quippe ad scopum directum loquentis non necessaria. At nemo dixerit talia esse illa duo incisa in textu paulino.

VI. Nihilominus ad demonstrandam quod necesse sit accipere hoc in loco dictionem ἐφ' ᾧ in quo relative et reificandam esse aliam interpretationem producuntur e penu grammaticae quaedam principia, quae aut nihil probant, aut affirmant id potius quod nos defendimus. (Cf. duplex opusculum Professoris A. I. Maunoury. Examen du text: in quo omnes peccaverunt, et Réponse d'un Grammairien etc. an. 1877.) Est ergo principium primum. Pronomen relativum in omnibus linguis habet semper suum antecedens; quod si expressum non est, suppleri potest. Affertur in huius exemplum textus Pauli ad Hebr. II, 18. quem iam explicavimus: ἐν ᾧ πεπονθεν etc. quod vulgatus hoc pacto integravit: in eo in quo passus est.

Verum concesso principio, negamus consequentiam. Quod enim in quaestionem venit non est utrum pronomen relativum habeat semper suum antecedens (quocum, ut videbimus, cohaerere potest ut tota dictio ex antecedente et relativo sit conjunctio causalis), sed utrum habeat pro antecedente semper illud nomen quod proxime vel remote expressum est in praecedentibus, cuiusmodi heic est terminus *hominem*. Id vero non probatur. Sane audiamus quomodo ab adversariis applicetur hoc principium. Aiunt: « cum Paulus dicit ad Romanos: εις παντας ανθρωπους ο θανατος διεληθεν ἐφ' ᾧ παντες ημαρτον, suppletur regulariter ἐπι τουτω ante ἐφ' ᾧ quemadmodum fecit Origenes translatus a Rufino: in omnes homines mors pertransiit in eo (homine) in quo omnes peccaverunt. » Accipimus supplementum. Nunc quaerimus pro quo supponat illud τουτω. Respondent pro *homine* quem parenthesi inclusum subiiciunt pronomini *eo* in versione Rufini. Atqui aut prorsus nihil intelligimus, aut sensus prodit hoc pacto plane absurdus. Nam istud ἐπι τουτω coniungendum est certe cum verbo διεληθε eiusque subiecto. Sensus ergo foret quod mors transitit in eo homine h. e. Adamo. Atqui, omissio solacismo, manifestum est quod mors non transitit in Adamum, sed ab Adamo transitit in nos. An coniunges illud ἐπι τουτω immediate cum primo inciso: per unum hominem peccatum intravit in mundum in eo homine in quo omnes peccaverunt? quis ita loquitur? Itaque illud τουτω refertur ad id quod sequitur: in omnes homines mors pertransiit in hoc, seu propter hoc, quidnam vero istud est? nempe id quod subditur, quod omnes videlicet peccaverunt. Quocirca ea dictio ἐπι τουτω ἐφ' ᾧ perinde est ac *propterea quod*, exprimitur elliptice potest solo ἐφ' ᾧ, et est tantummodo propositio causalis; quemadmodum ostendit etiam exemplum allatum ex epist. ad Hebr. II, 18. Miramur quidem id necessarium auctorem citatum ea permotum ratione quod pronomen rela-

tivum exigit semper suum antecedens, ac si antecedens, quod exprimitur aut subintelligitur, et relativum simul sumpta non possent efficere unam conjunctionem causalem. Ergo hoc principium, quia probet thesim adversariorum, nostram potius confirmat.

Alterum principium est: pronomen relativum potest esse vel pure determinativum (in civitate, quae vocatur Nazaret), vel determinativum simulque includens propositionem causalem (credo Deo, qui est infallibilis, scilicet quia is est infallibilis). Quocirca verba Apostoli: in quo omnes peccaverunt, aequivalent his: quia in eo omnes peccaverunt. Haec advertimus duo. Primum est: ergo et adversarii concedunt significationem causalem inesse τὸν in quo, quod nos defendimus, et pro cuius defensione exorta est haec disputatio. Utrique nimirum id dicimus, potest igitur id censi asseantur esse certitudinem scientiae. Nos dicimus quarto inciso: in quo omnes peccaverunt, rationem reddi eius quod dictum est in tertio: in omnes scilicet homines mortem pertransisse eo quod omnes peccaverunt: adversarii dicunt sensum utriusque incisii hunc esse: in omnes homines mors pertransit quia in eo homine omnes peccaverunt. Discrimen est tantum quod haec altera interpretatio retinet quoque sensum relativum et exprimit explicite in quo omnes peccaverunt. At quaestio non est utrum hic sensus contineatur verbis Apostoli, sed quaestio est utrum id literaliter significetur dictione in quo. Istud concederemus, si demonstratum esset posse huic applicari illud alterum principium; verum an ita fieri possit, ut minimum dicamus, vehementer dubitamus. Nam cum pronomen relativum manens relativum induit quoque significationem causalem, subiectum ad quod refertur est illud quod exprimitur in illo ipso antecedente inciso in quo occurrit id, cuius ratio redditur per incisum alterum in quo exstat pronomen relativum. *Credo Deo qui est infallibilis: credo in Christum quem miracula Deum testantur*: res expressa in secundo inciso est ratio fidei expressae in priori, et ad subiectum in hoc expressum refertur pronomen. Iam vero in interpretatione paulini textus proposita ab adversariis, id quod dicitur in quarto inciso, peccasse scilicet omnes, est ratio eius quod affirmatur in tertio: mortem nempe pertransisse in omnes, ideoque pronomen in quo significationem habere dicitur causalem; at non refertur ad nomen contentum in tertio inciso, et nexum cum verbo *pertransiit*, sed ad nomen alterius incisii longe distantis, h. e. ad *hominem* primi incisii. Haec vero duo cum regula allata non cohaerent. Quapropter haec interpretatio ad summum non probatur. Quod ergo certum relinquimus istud est, ἐφ' ᾧ in quo habere significationem causalem, quod utriusque affirmamus.

VII. At interpretatio τὸν in quo sensu causali est erasmiana. Si

intelligis Erasmus fuisse primum qui eam excogitaverit, falleris egregie; antiqua enim est, ut paulo post ostendemus. Si intelligis eam placuisse Erasmo, quid inde? An adeo malus homo erat Erasmus ut nihil boni ei placeret? Ceterum in huiusmodi appellationibus, quae convicium redolent, tribuendis sententiae doctorum catholicorum oporteret profecto esse cautiores. Interpretatio erasmiana propter id potissimum reprobata est quod nollet termino *peccaverunt* significari peccatum originale, et sic demonstrationem catholicam penè subverteret (cf. Bellarminum de Amissione gratiae. L. IV, c. 2). Quid cum hac commune habet nostra interpretatio? Ex nimio zelo, qui non solet esse secundum scientiam, haec proferuntur ad invidiam penes vulgus conflandam sententiae, quae certis argumentis refelli nequit. Eodem in loco habenda est exprobratio quod e germanicis fontibus hausta si haec interpretatio sensus causalis dictionis ἐφ' ᾧ. Id enim eadem ratione negamus.

Quod vero haec interpretatio dicatur nova expositio P. Patrizi, habita quoque tantum ratione recentiorum interpretum, mirum profecto est. Cardinalis Caietanus (in hunc locum) eam amplexus est. Cardinalis Seripandus enarrans com. 12, cap. V Rom. eandem adoptavit. Cardinalis Toletus (in h. l.) eam falsam non iudicat, et inter eas expositiones recenset, de quibus agitur inter catholicos. Salmeron concedit quod textus Pauli eam quoque versionem admittere valeat. Estius tolerari eam posse dicit. Cardinalis Bellarminus (De Amis. grat. L. IV, c. 3) affirmat ea quoque demonstrari peccatum originale. Idem affirmat Cornelius a Lapide. Iam ergo haec interpretatio nota erat, iam probabilis plus minus habebatur, censebaturque catholica, imo ab aliquo, e. g. Caietano, affirmata fuit. Conferantur horum testimonia in opusculo citato cl. P. Patrizi.

VIII. Restat argumentum theologicum. Communis est, inquam, Patribus interpretatio τὸν in quo per sensum relativum, et probata Conciliis: non licet autem in his rebus discedere a communi consensu Patrum. Iam huic argumento ficit satis cl. P. Patrizi in opusculo mox citato. Nos in summam eius responsum contrahentes, addita quoque aliqua nostra animadversione, sic respondemus.

1. Ea interpretatio, cui adversatur lectio plurium versionum publico usu receptarum et probatarum in Ecclesia, nequit dici sola viguisse olim in Ecclesia, et ab omnibus Ecclesiae magistris proposita populo fidei; nam licet arbitrari Episcopos verbum Dei suis gregibus explicantes non discessisse a vulgata usu recepta in suis Ecclesiis. Iam vero plures antiquae versiones vel exhibent sensum causalem, vel non favent sensui relativo ad Adamum. In Syriaca quidem Peshito verba ⲉϥⲟⲩ cum sint femini pronominis, si relative

accipiantur, nequeunt referri nisi ad antecedens *peccatum* λαβω quod solum occurrit femininum. Possunt tamen accipi sensu coniunctionis causalis: *in eo quod sicut* habet Philoxeniana: *eo quod omnes peccaverunt*. Arabica habet: *quia universitas eorum exinde peccaverunt*; Armenica: *et ita in omnes homines derivavit mors sicut omnes peccaverunt*; Aethiopia: *quoniam in omnes homines imputatum est illud peccatum*.

2. Si specialim opera Patrum graecorum et latinorum inspiciamus, ad graecos quod attinet, certe Origenes accepit *ἐπ' ᾧ* sensu causali, non relativo ad Adamum. Exstat eius commentarii in epistolam ad Romanos versio Rufini. L. V. 5. 1. ait: « Sed videamus quomodo in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes, inquit, peccaverunt » Scilicet in hoc secundo inciso continetur modus seu ratio transitus mortis in omnes. Sane immediate subdit: « absoluta sententia pronuntiavit Apostolus in omnes homines mortem pertransisse peccati, in eo in quo omnes peccaverunt » iam supra ostendimus illud in eo non posse accipi in eo homine, sed hoc totum in eo in quo vim habere coniunctionis causalis: ergo. Idem Origenes in Num. hom. XXII, 5. 3 declarans omnes reos esse peccati, affert verba Apostoli hoc pacto: « Et ideo, opinor, dicebat quia peccatum introiit in hunc mundum, et per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt » Evidens est non retulisse Origenem illud *ἐπ' ᾧ* ad Adamum, cum nec eius Origenes mentionem faciat, nec recitet verba Apostoli ipsum appellantis.

Chrysostomus (in epist. ad Rom. h. X, n. 1.) ait: « quomodo igitur intravit mors, et quomodo imperium obtinuit per peccatum unius. Quid autem est in quo omnes peccaverunt? illo lapsu et qui non ederant de ligno facti sunt ex illo omnes mortales. **Τι δ' ἔστι ἐπ' ᾧ πάντες ἥμαρτον;** » *Κεινὸν πεινῶντος καὶ οὐ μὴ φαγοῦντος ἀπο τοῦ ξύλου γεγονασιν ἐξ ἑκείνου πάντες θνητοὶ* ». Primum per transennam monemus 1.) quod *το ex illo* in verbis facti sunt ex illo omnes mortales refertur ad immediate praecedens nomen, nempe lignum: quemadmodum vel ex hac paulo post subsequente Chrysostomi declaratione liquet: « Ille ex se ortis, licet non comederint de ligno causa fuit mortis per cibum illum inductae ». Monemus 2.) quod quaestio Chrysostomo in illis verbis: *ἐπ' ᾧ πάντες ἥμαρτον* non est tantum de *ἐπ' ᾧ*, sed de tota sententia; non enim quaerit quid est in quo sed quid est in quo omnes peccaverunt?

His positis haec licet advertere. 1) Certe haec non est quaestio verbalis de significatione verborum; nam secus iuxta Chrysostomum dictio *omnes peccasse* perinde foret ac dictio *omnes factos esse mortales*; quae responsio in quaestione de significatione verborum quam

sit absurda, nemo non videt. Quocirca quaestio haec realis est de ipsa scilicet re significata. Iam vero 2) quaestio haec realis potuit dupliciter proponi. Vel de re formaliter spectata ita ut responsio rei essentiali exhibere deberet, vel de re spectata secundum suam virtutem et efficientiam ita ut responsio effectus eiusdem referre deberet. Atqui certum est questionem non proponi a Chrysostomo priore modo: nisi velis dicere quod et sententia Chrysostomi peccatum omnium sit formaliter mors omnium, quod alienum esse a mente Chrysostomi, qui peccatum originale vere asseruit, demonstrabimus suo loco. At si quaestio accipiatur altero modo, liquet quam bene cohaereat responsio interrogationi, quae effectum continet peccati. Interrogatio ergo Chrysostomi eo spectat ut ostendatur vis et effectus peccati omnium, eiusque sententia huc redit quod communis mortis causa est reatus peccati omnibus communis. Atqui si ita est, acceptum est a Chrysostomo illud *ἐπ' ᾧ* causaliter; sensus enim interrogationis est: *quid ex eo quod peccaverint omnes consecutum est?* Ceterum ne mireris Chrysostomum sensum causalem tribuisse dictioni *ἐπ' ᾧ*; nam iam superius vidimus eodem in sensu eam accepisse in epist. ad Philipp. III, 12.

Alius nobilis interpres inter graecos est Theodoretus. Hic porro verba Apostoli exponens ait « dicit itaque divinus Apostolus quod cum Adam peccasset, et mortalis per peccatum effectus fuisset, ambo (peccatum et mors) in genus transierunt *Εἰς πάντας γὰρ ἀνθρώπους διηλθεν ὁ θάνατος ἐπ' ᾧ πάντες ἥμαρτον*; non enim per progenitoris peccatum sed per proprium unusquisque accepit mortis terminum. » Cum dicit Theodoretus: *non enim per progenitoris* etc. explicat verba praecedentia Apostoli: explicat autem ita ut peccatum quod inest singulis, quod omnes peccaverunt, sit causa mortis singulorum; ergo illud *ἐπ' ᾧ* Apostoli accepit causaliter. Cave autem ne perperam accipias sententiam Theodoreti dicentis non per peccatum progenitoris mori homines sed per proprium peccatum: non enim negat id quod prius immediate dixit affirmari ab Apostolo peccatum et mortem in humanum genus transiisse ex Adamo. Sed affirmat quod non propter peccatum personale Adami, sed propter illud quod transit in omnes, et inest unicuique, moriuntur singuli. Quam sententiam suam fecit Anselmus iniquiens « infantes non portare peccatum Adae sed suum (De Conc. Virg. c. 26.) » Quocirca in verbis Theodoreti brevem et plenam habes peccati originalis expositionem. Reatus est culpa et poenae a primo parente procedens, reatus culpae inest proprius singulis, propter hunc moriuntur singuli.

Leontius Byzantinus (contra Nestorianos et Eulychianos L. II, sub initium sec. VII) in hunc locum Apostoli ait: « Christus... su-

perior omni peccato cum esset, non debet propter se mortem, siquidem principio mors propter peccatum irruit, et in totam naturam pervasit, in quo, inquit Paulus, omnes peccaverunt: deest textus graecus; at luce clarius est Leontium εἶπε' ὡς accepisse causaliter tanquam aequivalens τῷ propter quod prius occurrit.

Oecumenius in hunc locum refert neque ullo modo improbat enarrationem Photii. 'Eπε' φ', 'Eπε: τὸν τῷ (propter hoc) φησι, commemoratur Adamo εἶπε' ὡς (propter hoc) compeccamus... dicens: in quo omnes peccaverunt, ne quis dicat: et quomodo erat peccare cum lex non esset? quomodo ergo pertransiit mors in omnes εἶπε' ὡς (in quo) omnes peccaverunt? ne igitur sit qui hoc dicat, occupans solvit dubitationem.... Itaque utrumque bene habet, et: Pertransiit in omnes homines mors in quo omnes peccaverunt, et: Ubi non est lex, neque praevaticatio ». Evidens est Photium accepisse causaliter τὸ εἶπε' ὡς, neque id Oecumenio improbatum fuisse. Theophylactus (sec. XI) primus est inter graecos, quorum supersunt opera, qui in dictione εἶπε' ὡς non videt nisi Adamum. Vide alios graecos Patres in dissert. citata.

Haec arbitramur sufficere ad demonstrandum quod ex parte Ecclesiae graecae consensus ab adversariis praedicatus nullus est. Imo si graecos consulamus, nostra interpretatio est praefenda.

3. Veniamus ad Latinos. Inter veteres Pacianus ex Hispaniis consentit graecis. Sic enim ait in Serm. de baptis. n. 2. « Adam postquam peccavit... additus est morti. Haec additio in omne genus defluxit; omnes enim peccaverunt ipsa iam urgente natura, sicut Apostolus dicit, quia per unum hominem peccatum introivit, et per delictum mors, et sic in omnes homines devenit in quo omnes peccaverunt ». Verba Paciani enarratio sunt verborum Apostoli: prius de morte omnium, tum de causa universalis mortis sermo est, et dictio in quo Apostoli respondet τῷ enim Paciani: ergo.

Quorundam latinorum Patrum dubia est sententia. Alii vero cum Augustino (qui tamen postremis tantum annis vitae suae asseruit (oper. imp. L. II, n. 63) verba in quo referenda esse ad unum hominem) accipiunt in quo relative ad solum Adamum. Alii, iure non pauci, accipiunt quidem relative, sed rem in medio relinquunt an ad hominem an ad peccatum referantur (cf. Sent. L. II. d. 30). Anselmus autem in medit. super Miserere §. 14 (Mai PP. nova biblioth. T. I, pag. 512) disertè refert ad peccatum inquiring: « intelligo dicere me conceptum in illo uno et singulari originali peccato, in quo omnes in Adam peccaverunt: licet vis causalis hoc in loco τῷ in quo bene conveniret. Iam vero constat α) nullum inter Latinos consensum haberi communem pro sententia referente

in quo ad Adamum. β) Etsi sit quidam consensus pro acceptione relativa eiusdem, tamen a) hic non est, ut vidimus, consensus communis Patrum; b) huius consensus si ratio, quae mentibus latinorum observabatur, spectetur, haec erat, quia certum habebant verbis: in quo omnes peccaverunt, significari peccatum originale, quod aliter explicari posse non putabant nisi referendo illud quo vel ad Adamum vel ad peccatum. Habemus proinde duplicem consensum, alterum in sententiam, quae subest verbis Apostoli, alterum in modum grammaticum eam explicandi. Primus consensus est communis etiam graecis, omnibusque versionibus orientalibus: atque hunc nos sequimur, ut liquebit in Th. seq.; alterum vero consensum, qui pendet etiam ex eo quod non adverterint latini dictionem εἶπε' ὡς habere posse sensum causalem, et ex auctoritate quoque Augustini, cuius auctoritatis vim non admodum in hac quaestione grammaticam urgentem esse paulo post videbimus, hanc alterum inquam consensum, qui nullo modo communis est Ecclesiae Patribus, negamus esse necessario sequendum.

4. Ad concilia quod attinet, non assequimur quid ex illis confici possit. Contra Pelagianos ipsa recitant verba Apostoli, et idcirco ex Conciliorum auctoritate habemus in eo testimonio doctrinam contineri de peccati originalis universali propagatione. An id est quod controvertitur? Quaestio est an τὸ in quo sit causale an relativum: de hac autem re concilia nihil dicunt, sicut nihil dicit Apostolus. Quemadmodum ergo inepte provocares ad ipsum textum Pauli ut tuam interpretationem demonstrares, quia nimirum Paulus dixit εἶπε' ὡς et Vulgatus reddidit in quo, quasi aliquis id ignoraret et de hac re quaestio foret; ita inepte pariter provocas ad canonicos conciliorum qui textum Apostoli verbatim referunt.

5. Ceterum negari nequit auctoritatem Augustini non parum contulisse ad eam probandam interpretationem, quae verba in quo refert ad hominem. Iam vero interit animadvertere id, quod nescimus an alii quaestionem hanc agitantés rite perpenderit. Nimirum textum paulinum Augustinus paulo aliter legebat ac nos legimus, et vere legendum est. Ita enim legebat: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines (omissa voce mors) pertransiit in quo omnes peccaverunt. Cf. Serm. CLXV (al. de verb. Apost. 7) c. 6. De pecc. orig. c. 29; De nupt. et concup. L. II, c. 28; De peccat. mer. et remiss. L. I. c. 9. et speciatim Oper. imp. cont. Iulian. L. II, c. 63, cuius disputationem mox referemus. Cum vero ita legeret Augustinus, sic quoque tertium incisum interpretabatur, ut subiectum verbi pertransiit diceret esse peccatum, non mors, ut pro-

pagatio peccati per generationem evidentius ob oculos poneretur. Imo ea aetate atque antea alii quoque eodem modo ac Augustinus legebant textum Paulinum. Perpende testimonium Paciani superius recitatum. Sic autem certe legebat Iulianus, qui (in cit. oper. imp. l. c.) conqueritur Augustinum immerito postulare subiectum illius tertii incisio esse *peccatum*, contenditque esse *mortem*, quia hoc subiectum immediate praecedit in secundo inciso (qua in re non errabat Iulianus). Iam vero opus non habuisset Iulianus demonstratione id efficere, si lectio textus sui vocem *mors* in tertio inciso praesentasset. Porro ea lectio supposita, eaque praeterea interpretatione Augustini adhibita, quae propter eam lectionem possibilis fuit, ut *peccatum* intelligeretur pertransisse in omnes, liquet causam fuisse quae impediret Augustinum ne acciperet sensu causali verba *in quo*, quae nexu causali, qui est inter causam et effectum, necerent quantum incisum cum praecedente. Exstisset enim e contrario quaedam tautologia: *peccatum in omnes pertransiit quia omnes peccaverunt*. Itaque Augustini grammatica interpretatio, cum innitatur etiam lectioni non accuratae textus, et ab ea quodammodo dependeat, non est profecto tantae auctoritatis, ut temerarius sit dicendus qui ab ea discedit.

Idem Augustinus (Cont. Iulian. l. VI n. 73) improbat utique interpretationem Iuliani ut *in quo* sit *propter quod*, et quidem hoc sensu, nempe: propter quod (h. e. propter peccatum Adami) factum est ut omnes peccent cum imitantur illum, non cum generantur ex illo. At non putamus adversarios nostros, qui argumentis grammaticis pugnant, velle confundere $\tau\omega$ propter quod cum $\tau\omega$ eo quod seu propterea quod, quorum discrimina iam dedimus ab initio. Nec nostra interpretatio favet vel minimum sententiae Iuliani, imo penitus adversatur.

6. Dici tandem potest formulam esse catholicam: *omnes peccavisse in Adamo*; atqui haec formula oriri non potuit nisi ex verbis Pauli: *in quo omnes peccaverunt*, ita acceptis, ut vox *quo* ad Adamum referatur, ut tantumdem sit ac in Adamo peccaverunt: ergo et ea interpretatio est catholica.

Respondeo 1) distinguendum esse sensum formulae a materiali forma vocabulorum quibus constat. Sensus profecto ex verbis Pauli Rom. V, 12, colligitur, etiamsi accipiantur causaliter: *eo quod omnes peccaverunt*; constat enim ex verbis Apostoli *per unum hominem omnes peccasse*; facilis est autem transitus ab hac formula ad illam *in uno homine omnes peccasse*. 2) Quod si quis velit ipsam materialem formam verborum originem suam immediatam mutuari ab Apostolo, advertere poterit a) formam eam grammaticam occurrere

in 1. Cor. XV, 22; sicut in Adam omnes moriuntur ita in Christo omnes vivificabuntur: si enim dicere licet omnes in Adam mori, licebit etiam dicere omnes peccasse in Adam. Itaque non est necesse ut ea formula orta reapse sit a verbis Pauli *in quo omnes peccaverunt* ita acceptis ut *in quo* sit in Adamo. Ceterum b) etsi exinde esset orta, non tamen consequens esset quod contenditur. Nam potuit ex eo oriri quatenus aliqui putaverint ita reapse accipienda esse verba Apostoli; cum porro ea formula verissima sit, potuit ea acceptari, fierique communis, non quia grammaticae in verbis Rom. V, 12, continetur, sed quia verissima est, sensumque refert eorum verborum: sicut reapse acceptatur ab iis qui aliter verba Pauli interpretantur; et sicut iis Patribus probabatur qui $\xi\phi'$ ϕ non referbant ad Adamum.

Iam vero cum demonstratum sit non solum nihil impedire quominus dictio *in quo* accipiatur sensu causali, imo hanc interpretationem sive habita ratione vis dictionis per se, sive eius usus in Scripturis, sive interpretationis graecorum Patrum, probabilem certe esse: restat ut considerentur per se verba Pauli, et iuxta leges hermeneuticas enarrentur. Quod modo in seq. Th. exsecuturi sumus.

Thesis LXVII.

Verbis Apostoli ad Rom. V, 12, seqq. doctrina catholica continetur propagationis in universum humanum genus peccati primi parentis, quod inest unicuique proprium, veramque peccati rationem habet.

I. Accedamus ergo propius ad interpretationem textus paulini. Animadversiones quasdam praemittimus. 1. Opportunum erit advertere ab Apostolo Rom. V, 12, ita tradi doctrinam de peccato ingresso in mundum, ut eam potius veluti iam notam supponat, quam ut ignotam adhuc patefaciat. Sane scopus eius hoc in loco est ostendere quid per Christum acceperimus, quod ut doceat utitur comparatione petita ex Adamo eiusque peccato: *Sicut per unum hominem* etc. Iam vero cum ad aliquid explicandum comparatio aliqua adhibetur, terminus comparationis, qui assumitur, supponitur per se ut iam notus. Et re quidem vera omnibus iam notum esse debebat quod Paulus haec tradit de peccato originali. Baptizati enim ignorare nequibant effectum proprium baptismi: Christiani autem ex Iudaeis insuper ex doctrina Synagogaes notitiam eius rei acceperant.

2. Statuimus periodum non absolvi commate 12; sed hoc com-

mate solam protasim contineri, ut iam monuit Origenes. Etenim si absolveretur, apodosis inciperet a vocabulo *ita* etc; atqui hinc nequit sumi initium apodosis; id enim prohibetur *a*) a particula *et*, quae sequentia connectit cum praecedentibus, omniaque subicit particulae *sicut* initio positae. *b*) Antithesis haec inuenta ab Apostolo non est verbalis, sed realis; cum vero talis est, nequit in utraque sermonis parte idem dici: atqui haec altera pars commatis idem dicitur ac prior. Et sane *c*) modus et scopus loquendi Pauli ab hoc commate deinceps indicat apodosis debere continere determinatam oppositionem: scilicet sicut per unum hominem peccatum, ita per unum hominem iustitia, sicut per unum hominem mors, ita per unum hominem vita, ut in sequentibus Apostolus explicat, Adamo Christum opponens: atqui haec oppositio nullo modo apparet in secunda parte commatis 12: ergo.

3) Antequam Apostolus periodum absolvat, argumentum affert ad demonstrandum id quod dixerat. Docuerat *ideo omnes mori quia peccaverunt peccato illo primo*, ita ut ex universalitate mortis probaverit universalitatem peccati. Porro difficultas afferri poterat: mundus enim nunquam caruit peccatis actualibus, propter quae peccatores punirentur morte; mors ergo non est argumentum peccati originalis, sed actualis. Responso, quam reddit, probat et confirmat quod dixerat. Respondet itaque. Certe quidem usque ad legem Moysis erant qui actualiter peccarent (et quidem certum est plura existitisse peccata contra legem naturalem), verum, ait apostolus, peccatum non imputatur, cum lex non adest; ideoque poena potissimum positiva nemo plectitur, nisi lex eam poenam decernens lata sit; et ideoque poena mortis praescripta pluribus delictis per legem Moysis non poterant homines puniri ante eam legem: atqui etiam antequam lex decernens poenam mortis peccatis saltem pluribus actualibus ferretur per Moysen, et nulla alia fuisset lex decernens mortem lata a Deo, nisi ea quam Deus tulit Adamo, tamen omnes moriebantur, et ii quoque, qui non peccaverant in similitudinem praevagationis Adami, hoc est qui non peccaverunt actualiter, quemadmodum peccavit Adamus; quae est interpretatio Augustini (De Pecc. mer. et remiss. L. I, c. 11) et Hieronymi (Dialog. III. cont. Pelag.), vel qui non peccarunt transgredientes actualiter aliquam legem positivam Dei, quemadmodum rursus fecit Adamus; quam interpretationem graecorum commentarii suggerunt, ait Estius in h. l. quem confer, ita ut qui non peccaverunt in similitudinem praevagationis Adami iidem sint, quos idem Apostolus c. 11. dixit peccasse sine lege; ergo ii moriebantur non propter personale peccatum ab ipsis admissum, sed eo quod peccatum peccaverant illud quod a primo parente

admissum est. Conclusio proinde argumenti Apostoli est: ergo mors, qua omnes plectebantur, non erat poena alicuius peccati actualis filiorum Adami, sed peccati illius, cui mortem comminatus erat Deus in paradiso. Ideo vere affirmata est ea propositio causalis: in omnes homines pertransisse mortem, qua omnes peccaverunt peccatum scilicet illud quod intravit in mundum. Loquitur itaque Apostolus de lege prohibente peccatum sub poena positiva, cuiusmodi erat mors; lex autem comminans poenam mortis, ante legem Moysis, non alia fuit nisi ea, quam Deus tulit Adamo, si inobediens fuisset prohibitioni de non edendo fructu: ergo quandoquidem omnes moriuntur, dicendum est omnes peccasse, et quidem contra eam legem, quae sancta erat poena mortis in paradiso: h. e. omnes peccasse peccato Adami.

Vides in hac argumentatione Paulum supponere mortem contingere hominibus in poenam, quod iam affirmaverat in primo inciso commatis praecedentis: *et per peccatum mors*; quodque certum erat ex Genesi II, atque omnibus, quos Paulus alloquebatur, iam notum erat.

Porro si vim argumenti Apostoli perpendas, patebit quod altera adhibita a Graecis interpretatio verborum: *qui non peccaverunt in similitudinem praevagationis Adami*, infert priorem, qua usus est Augustinus. Si enim omnes moriebantur etiam ii qui non erant transgressi actualiter aliquam legem positivam, et mors non nisi ab aliqua positiva lege tanquam poena intelligenda erat, ut supponit Apostolus, ii ergo non moriebantur propter aliquid actuale peccatum suum, sed propter alterius peccatum quod ad ipsos ut homines pertineret, qua in conditione etiam infantes reperiuntur, imo in qua conditione homines ab infantia reperiuntur: ergo ii qui non peccaverunt in similitudinem praevagationis Adami sunt etiam infantes.

Imputatio autem, de qua loquitur Apostolus, non est imputatio tantum ad poenam non supponens peccatum in eo cui poena irrogatur, quae foret impropria imputatio: sed est imputatio ad poenam, supponens peccatum in eo cui poena infligitur; illud enim principium: *peccatum non imputatur non existente lege*, affertur ut probetur *ideo omnes mori quia omnes peccaverunt*.

4) Hinc liquet aliud esse peccatum, de quo in com. 13. ac illud, de quo in com. 12. sermo est. Nam in com. 12. dicitur *ἡ ἀμαρτία*, in sequenti simpliciter *ἀμαρτία*; ideoque prius est determinatum, alterum indeterminatum; praesertim cum, si idem esset peccatum, *ἀμαρτία* secundo loco posita referretur ad *ἀμαρτίαν* primo loco positam, et proinde cum articulo scribenda esset. Praeterea *ἀμαρτία* in com. 13. ea est cui applicatur principium: *peccatum non impu-*